



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petrus Cnapeus Sev Fvllō In Thoma VVegeino,
Lvtherano Theopaschita Redivivus**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1609

§. 1. Qvis Hymnus Ter Sanctus Sev Τρισάγιος.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

habeatur eo loco nota copulationis, tum quòd in duabus præcedentibus denominationibus, inter nomen sanctitatis & peculiarem denominationem; DEVS & FORTIS, nō interferatur huiusmodi connexionis particula: sed, sine intermedia copula dicatur; SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS.

§. 2. *Origo Trisagij.*

Hanc tradit Damascenus lib. 4. cap. 10. Narrant ij, qui Ecclesiasticam historiam literarum monumentis prodiderunt, cū plebs Constantinopolitana ob minas quasdam Proclo Archiepiscopatum obtinente, diuinitus intentatas, supplex Deo preces adhiberet, puerum quendam è plebe in sublimè raptum fuisse, atque angelis quibusdam magistris ter sanctum hunc hymnum didicisse, sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nobis. Cūmq; ad se rediisset, atq; id, quod didicerat, retulisset, multitudinem vniuersam hunc hymnum cecinisse, atque hoc pacto impendens periculum conquieuisse. Quin in sancto, & magno, ac vniuersali VI. illo Concilio, quod Chalcedone coactum est, ita cantatus fuisse hic hymnus traditur. Sic enim inter huiusce S. Concilij acta refertur.

Fusus hac ex antiquorum monumentis tradit Nicephorus lib. 14. cap. 46. qui, postquam explicarat, quantas strages terramotus ille passim ediderit: subiungit sequentia. Byzantini in maximum coniecti metum, à ruinis ædificiorum sibi timentes, muros reliquerunt, & extra urbem in Campo; qui dicitur, morati sunt vnâ cum Imp. Theodosio, & Patriarcha Proclo continuis precibus incumbentes, Deumque, vt propicius eis esset, & ab
immi-